

transeat a me calix iste. Et exemplum discipulis suis tribuens, ut non voluntatem suam, sed Dei faciant, addidit, dicens: Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu. Et alio loco dicit: Non descendi de coelo, ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Quod si filius obaudivit, ut faceret patris voluntatem? quanto magis servis obaudire debet, ut faciat Domini voluntatem, sicut in epistola sua Joannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur et instruit dicens: Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo; quia omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi, quae non est a patre, sed ex concupiscentia mundi, et mundus transibit et concupiscentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in aeternum, quo modo et Deus manet in aeternum. Qui in aeternum manere volumus, Dei, qui aeternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei est, quam Christus et fecit et docuit: Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non posse, et factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare, in illo, quod pater est, timere, quod Deus est, Christo nihil omnino praeponere, quia nec nobis quidquam ille praeposuit, caritati ejus inseparabiliter adhaerere, cruci ejus fortiter ac fidenter assistere, quando de ejus nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur, in quaestione fiduciam, qua congregamur; in morte patientiam, qua coronamur. Hoc est cohaerere Christi esse velle, hoc est praeceptum Dei facere, hoc est voluntatem patris adimplere. Fieri autem petimus voluntatem Dei, ut in coelo et in terra, quod utrumque ad consummationem nostrae in-